

No. 1. 1021. 5. Oct.

Kaiser Heinrich II. schenkt dem Bischof Thietmar und der Merseburger Kirche die zwischen Elster Pleisse und Parde gelegene Stadt Leipzig.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Henricus divina ordinante providentia rex. Si ecclesiarum dei loca alicuius doni incremento meliorare vel ditare studuerimus, nobis nostrisque regni statui id proficere minime dubitamus. Quapropter noverit omnium Christi nostrorumque fidelium praesentium scilicet ac futurorum industria, qualiter nos pro remedio animae nostrae parentumque nostrorum nec non dilectissimae contectalis nostrae Chunegundis videlicet imperatricis augustae Merseburgensi ecclesiae in honorem sanctae dei genitricis Mariae perpetuaeque virginis nec non sancti Johannis baptistae sanctique Laurentii martyris a parente et antecessore nostro Ottone primo imperatore augusto constructae, postea vero peccatis exigentibus destructae, per nos autem divina propitiante gratia recuperatae unum oppidum Libziki nōminatum situm inter Alestram Plisnam et Pardam fluvios cum omnibus pertinentiis suis terris cultis et incultis agris areis aedificiis silvis venationibus aquis aquarumque decursibus piscationibus molendinis pratis pascuis viis et inviis exitibus et redditibus quaesitis et inquirendis mancipiis utriusque sexus et omnibus quae quomodolibet nominari vel scribi possunt utilitatibus ad idem oppidum pertinentibus per hanc imperialem nostram paginam donamus concedimus atque largimur praefatae Merseburgensi ecclesiae ipsiusque provisorii venerabili Diethmaro episcopo, et de nostro iure ac dominio in eius ius et dominium omnino transfundimus ea videlicet ratione, ut eiusdem ecclesiae antistes sibi succedentes liberam habeant de praefato oppido suisque pertinentiis potestatem quicquid sibi inde placuerit faciendi. Et ut haec nostrae donationis auctoritas stabilis et inconvulsa omni posthinc permaneat tempore, hoc praeceptum inde conscriptum sigilli nostri inpressione praecepimus insigniri.

Signum domini Henrici Romanorum invictissimi imperatoris augusti. (L. M.)

Guntherius vice Aribonis archicappellani recognovi.

Acta III^o. Non. Octobris indictione III^a. anno dominicae incarnationis M^o. XXI^o. Anno V^o domini Henrici secundi regni autem XX. Actum Merseburch.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Merseburg. Die Urkunde, deren Aechtheit schon Schultes Director. diplom. I. S. 142 bezweifelte, ist wahrscheinlich in der zweiten Hälfte des 12. Jahrhunderts angefertigt. Die Gründe für die Unächtheit sind von Wilmans in Pertz Archiv XI. S. 156 f. zusammengestellt; vgl. auch Stumpf die Reichskanzler II. S. 143.

Peifer Memorabilia Lipsiensia p. 108. Vogel Leipz. Annales S. 13. Du Mont Corps diplom. I. p. 42.

No. 2. Zwischen 1156 und 1170.

Markgraf Otto setzt Leipzig nach Magdeburgischem und Hallischem Rechte aus, bestimmt die Weichbildgränzen und die Rechte und Verpflichtungen der Bürger.

Quia per scripturarum evidentiam antecessorum acta posteris reducuntur in memoriam, scripturae commendavimus, quod dominus O. dei gratia Misnensis marchio Lipz aedificandam distribuit sub Hallensi et Magedeburgensi iure addito pietatis